



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 25. Copiæ a Venetis conscriptæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI bant; hi enim illos nonnisi inanibus ar-  
A.C. 1509. tibus, vanisque pollicitationibus lætabant;  
 quippe Angliæ Rex inani eos verborum,  
 officique simulatione distinebat, longe  
 tamen abfuit a promissorum facilitate o-  
 peris constantia, nec feliciter acta est  
 specialis illa legatio, quam Ludovicus Ray-  
 mundus ad Turcarum Imperatorem  
 missus obibat. Nullum igitur aliud re-  
 stabat Venetis præsidium, quam armo-  
 rum suorum potentia, opumque abun-  
 dantia.

## §. XXV.

*Copiæ a Venetis conscriptæ.*

*Mecenigo  
 belli Came-  
 raci lib. 2.  
 Bembo lib. 7.  
 Justiniani  
 lib. II.*

Promiserant equidem Ursini atque Sa-  
 bellii Venetorum Reipublicæ, quod  
 quingentos Cataphractos, peditumque  
 tria millia in ejus opem suppeditare vel-  
 lent, quinimo pro militum stipendiis jam-  
 jam quindecim aureorum millia accepe-  
 rant. Verum hi Principes ab inito hoc  
 foedere recesserunt, atque quorundam o-  
 pinione, ne numeratas pecunias Vene-  
 tis reddere cogerentur, a summo Pontifi-  
 ce obtinuerunt. His tamen Veneti mi-  
 nime terri, delectu habito peditum qua-  
 draginta millia unacum haud exiguo le-  
 vioris armaturæ equitum numero, plus-  
 quam tria Cataphractorum millia colle-  
 gerunt, quibus Petilianum Comitem  
 præ-

præfíciebant, imperio tamen diviso cum Sæcul. XVI.  
 Bartholomæo Liviano seu Alviano ejus A. C. 1509.  
 Tribuno.

§. XXVI.

*Bellum contra Venetos a Galliarum  
 Rege inchoatum.*

Inter ceteros hujus fœderis articulos *Guicc. lib. 8.*  
 sanciebatur, ut Galliarum Rex bellum *San. Gelas.*  
 prior auspicaretur, ac prima Aprilis die *hist. Ludov.*  
 exercitum in aciem educeret: verum va- *XII.*  
 riis obstaculis præpeditus ea, qua defi- *Raynald.*  
 derasset, celeritate Alpes transire haud *hoc ann. n. 6.*  
 poterat, quamvis Pontifex moræ impa- *11. & 12.*  
 tiens dolere videretur, eoquod nondum  
 Italia belli flammis flagraret. Tandem  
 vero superatis alpihus Rex fecialem præ-  
 misit, qui primo Cremonensibus, de-  
 mum Venetis in pleno Senatorum con-  
 fessu die decima septima Aprilis bellum  
 nunciaret; biduo tamen ante factam  
 hanc declarationem Calvimontius Mare-  
 scallus, Cardinalis Ambasiani nepos, pri-  
 mus hostilem in modum Venetos vexa-  
 re cæperat, trajectoque Abduano fluvio  
 cum tribus equitum, peditumque sex  
 millibus, ac nonnullis belli tormentis  
 Trivium jam cinxerat, captaque urbe mil-  
 le ducentos ac inter eos Justinianum  
 Morosinum unum ex illis, quos *Proviso-*  
*res* vocant, in captivitatem abstraxerat;  
*Hist. Eccles. Tom. XXXII.* C postea